



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

15. Dies Aprilis. Solus Deus potest judicando non labi; qui solus in cognoscendo, non potest falli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

## 15. DIES APRILIS.

Solus Deus potest judicando non labi ; qui  
solus in cognoscendo , non potest falli.  
*S. Augustin. Epist. 54.*

Judicium I.

**T**andem intelle<sup>c</sup>tus à suspicio-  
temera-  
rium,

ne, & opinione , actu formi-  
dante progreditur ad assensum  
plenum , omni hæsitatione carentem , secum pro-  
nuntiando hoc est ; & illud est Judicium . Quod si  
occurrant Intellectui notiva assensus , commoda  
perfectioni Judicii , quod fertur ; tunc assensus est  
rectus , & rationi conformis , nec ullum ex eo Inju-  
stitiae periculum , adversus bonam de alio existi-  
tionem incurrat . At si deficientibus argumentis , il-  
que non satis firmis , ut assensum extorqueant , fera-  
tur tamen judicium aliter , quam bona de altero es-  
timatio postulat ; admittitur Injustitia , quia alterius  
injuria , & est Judicium temerarium . Quod deo-  
nos de hujusmodi judiciis deterrere , potissimum l-  
lud est , quia excepto Deo , quilibet judicando potest  
labi , quia in cognoscendo potest falli : adeoque se  
verissimè erit judicandus , qui de rebus , ut apparent  
judicat . Is enim in re maximi momenti vult ultro  
decipi : quod hinc liquet . Nihil prorsus in humanis  
est rebus , quantumcumque sit parvum , ac prop-  
nullum , in quo velis ultro decipi . Si quid audis , si  
quid quaeris , vellesne falsum tibi responderi ? si quid  
emis , quantâ satagis solicitudine ; ne aliud , quam for-  
tè putas , & merito , & pretio tibi tradatur .

II. Nunc

II. Nunc igitur, si tantillis in reculis, unde tenue  
emergit damnum, nunquam te velis decipi, quām sis  
graviter arguendus, & severè, judicandus, & justè  
condemnandus; si in illa re, quæ est omnium maxi-  
mè momentosā; qualis est Dei cultus, & Animi salus,  
te ultiro, & gratis velis illudi, decipi, & circumveni-  
ni? præstat in rebus aliis omnibus despere, quām in  
hoc uno non sapere, in aliis decipi semper, quām hic  
semel. At verò, qui de rebus ut apparent, judicant,  
in re hac gravissima volunt decipi. Nonne tu sic ju-  
dicas? Fare, quid censes de paupertate præ divitiis?  
de humanis miseriis, præ temporalibus commodis?  
de abjecta vivendi forte, præ sublimi, & fortunata?  
Quid de prolixiori vita, præ immatura morte? Quid  
de infirma valetudine, præ firmis viribus? quid de  
amicorum, aut servorum ingenti copia, præ soli tu-  
dine? Nonne paupertati præfers divitiias? Nonne  
miseriis delicias? nonne honores calumniis? nonne  
potentiores infirmis? nonne uno verbo, vitæ præ-  
sentis commoda, tam longè anteponis incommodis?  
quām longè vulgus anteponit, & præferenda judi-  
cat. Sed nonne tum sic postponenda anteponis, tibi  
ipsi in re gravissima gravissimè imponis? Unde enim  
tale judicium? Nonne à Deo, non à Christo, non à ve-  
ritate, non ex Scriptura, non ex Evangelio, cuius sunt  
alia de illis rebus pronuntiata. Unde nam nisi ex ap-  
parenti rerum facie, quia sic res videntur oculis, sic  
sensu percipiuntur; sic opinione dicuntur; sic hu-  
mano judicio aestimantur.

III. Tales igitur, cùm velint decipi, & avidè id  
ambiant, ipsi seipsoſ judicant, seipſoſ condemnant.  
Sicut portò errant judicando sic de rebus, quia judi-

care

cant secundūm speciem. De quibus dici potest illud Danielis : (a) *Species decepit te.* Unum hoc agit illa species, ut decipiatur, & decipiatur animūm, decipiatur intellectum, & voluntatem, decipiatur judicium, & effectum, decipiatur verò non in temporalibus, & politi-  
cīs ; sed in æternis illis, quorum jactura, est jactura animæ. Quàm porrò illud grave ! Cor, inter membra corporis est Metropolis, quasi in Regno hominis. Princeps autem cætera loca Regni sui, aliis judicanda, & regenda tradere solet : Metropolim autem ipse inhabitare, regere, & in eo judicare cupit, Deus, sibi soli cor judicandum reliquit ; ille solus scrutator est cordium. Hæc est venatio Principi reservata, in qua animalia insigniora commemorantur, quæque ipse tantum scrutari valet. Qui igitur alio temerè judicat ; se plus quàm Deum pronuntiat : quia licet Deus judicet omnes, tamen omnia nuda sunt oculis eius, & infinita pollet sapientia ; unde judicando nequit errare : at iste, cùm sit homo, & insipiens, & occulta illi sint hominum corda, pralimit ergò saltem opere, tantum posse suam stultitiam, quantum Dei sapientiam. Quæ gravior in Deum iniuria, quæ atrocior contra Deum blasphemia ? Quare si me audis :

*Ne temerè alterius sis Iudex, nam vetat hoc lex.*

16. DIES